



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

4. S. Isidorus Episcopus, & Doctor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

IV. Aprilis. S. Isidori Episcopi. 289

quanto melior effectus es: cetera enim
vitia crescunt vitiis, vanitas virtutibus.
Cape tibi hoc: Et dum bona agimus,
nos ad pedes Jesu humiliemus. Non
abjiciet!

Instructio meritoria.

Assuescamus in nostris posthac sacris
confessionibus nos notanter accusare
propter vanam gloriam, & propriam
complacentiam in nostris operibus non
rarò quæstam, vel affectatam; hodie
verò in compensationem neglectæ hu-
militatis ter expansis brachiis dicamus
12. Pater & Ave cum cantico: *Mag-*
nificat. Verè Cantica solis humilibus,
& simplicibus sunt propria.

Festum S. Isidori Hispalensis
Episcopi, & Doctoris in Ecclesia il-
luminatissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Nobilem parvulum S. Isidorum!
adhus adolescentulus Arianam
hæresin tam potenter redarguit, ut pro-
pè fuerit, ut ab adversariis necaretur.
Quàm felix tunc cecidisset Deo victima!

N

Dile-



290 IV. Aprilis. S. Isidori Episcopi.

Dilecte ! habemus in parvulo, quod mirum ! habemus & quod imitemur.
Viva fides ni rexerit annos, mali vivimus Christiani : quales ergo & religiosi?

Instructio meritoria.

Ut SSS. Trinitas meritis S. Isidori destruat & evellat ex horto S. Romanae Ecclesiæ omnia lolia, spinas & zizania ab hæresi plantata, oremus symbolum S. Athanasii. *Quicunque vult salvus esse.*
Inspice, & crede.

II.

Ecclæ Lectus in Archipræfulem S. Isidorus, ne deesset vitæ, & morum exemplo, in humilitate, patientia, & erga pauperes jugi charitate, ac benevolentiam, speculum sese præbuit omnium oculis. Honores o fili ! & dignitates dantur, non ut corrumpant, sed ut perficiant mores. At hos ipsos perficere, dum sumus in altis, artium ars erit maxima ; certè vel à solo Deo speranda.

Instructio meritoria.

Ut tribuat omnibus superioribus, & magnatibus donum tam necessarium, versus quatuor mundi plagas flectamus,

&



& oremus 12. *Pater, & Ave.* Tot enim gradibus scanditur sanctitas humilitatis. Addamus & ardens suspirium: Domine Jesu! ne tradas bestiis, concupiscentiae oculorum, ac superbiae virtutum animas confitentes tibi! Quale caput, talia & membra.

III.

Tanta scripsit S. Isidorus, ut hominis vix vita tantis suffecisse laboribus credi posset. Sic fili mi! qui Deo student, & cœlo laborant, nulli cedunt difficultati; superant omnia, ut Deum, & animas sibi rapiant. O si hic spiritus, tantus zelus, & fervor inesset nobis! non tempori, sed æternitati viveremus, cuius tamen tam rara memoria.

Instructio meritoria.

Vitemus, & fugiamus omne otium, totamque diem occupationibus religiosis, & statum decentibus impendamus, præmittendô cuilibet tria *Pater & Ave* cum triplici *Gloria Patri &c.* & orationculâ: *Actiones nostras &c.* Hominis est laborare; Dei autem benedicere.